



Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Sect. 2. Solvuntur opposita.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

tione, contemplatione, dilectione, non dum talis est Trinitas, ut Dei jam imago dicenda sit, ne in rebus temporalibus constituta videatur, qua constituta est in aeternis; mens quippe humana, cum fidem suam videt, qua credit, quod non videt, non aliquid sempiternum videt; non enim semper hoc erit, quod utique non erit, quando ista peregrinatione finita, qua peregrinamur a Domino, ut per fidem ambulare necesse sit, species illa succedit, per quam videbimus facie ad faciem, sicut modo non videntes, tamen quia credimus, videre merebimur, atque ad speciem nos per fidem perductos esse gaudebimus; neque enim iam fides erit, qua credantur, qua non videntur, sed species, qua videantur, qua credentur. En ex Augustino, quomodo maneat fides usque dum veniat intuitio Dei; ergo fides non opponitur unicunque visioni, sed visioni intuitivae Dei; quare objectum divinæ fidei, non est utsim obscurum, seu non visum, sed est obscurum, seu non visum in objecto primario fidei, nempe in ipso Deo intuitivè viso.

541. Probatur 3. Quia certum est, Prophetas habuisse veram fidem divinam. Etenim ad Hebreos 11. testatur Paulus: Abraham per fidem obediens Deo, credidisse ei, & promissionibus ejus. Deinde Genes 49. legitimus, Jacob per spiritum Propheticum filiis benedixisse; & tamen Paulus ad Hebreos 11. ait: Hoc fecisse per fidem; atque ibidem de Moysi ait, per fidem accepisse omnia, quae revelavit illi Deus; sed valde probabile est, eos habuisse de facto evidentiem in attestante, ut diximus num. 521. ergo evidentiem in attestante non repugnat in eodem intellectu cum actu fidei. Confirm. ex D. Thoma, qui pluribus in locis adductis ab Exim. Doctore disp. 3. sect. 8. hanc evidentiem in attestante concedit Prophetis: eamque concedunt etiam Scotus in tertium distinctione 24. quæst. unica 5. Sed si loquamur, ubi docet, ex efficacia Dei revelantis Prophetam habuisse necessarium assensum, quod Deus est, qui sibi loqueretur; idem tenet Gabriel ibidem conclusione 7. ubi eam Prophetarum cognitionem vocat evidenter.

542. Eandem sententiam amplectitur Richardus disp. 24. art. 8. quæst. 1. & Ferrariensis. 3. contra gentes cap. 40. 5. Ad evidentiem hujus difficultatis, quem sequuntur ferè omnes moderni Thomistæ, tum etiam Vega libro 9. in Tridentinum cap. 30. ubi ait: Prophetas non solum habuisse certitudinem fidei, sed etiam perfectiorum, & augustinorum, & fortasse evidentiem sive immediate per lumen Propheticum, sive per discursum. Videtur etiam favere Augustinus lib. 11. de civitate Dei cap. 3. ubi ait: de invisibilibus oportet credere his, qui in incorpore lumine hæc disposita esse didicerunt. Favet deinde modus loquendi Scripturæ, in qua Prophetæ appellantur videntes, de quo legi potest Isidorus libro 7. Ethymologiarum cap. 8. & est optimum testimonium, quod de Davide dedimus num. 111. & illud, quod dedimus de S. Jo-

R. P. Gormaz Theolog. Tom. I.

anne Evangelista num. 22. quæ, licet rem istam certa non faciant, ut habet Exim. Doctor loco supra citato, at faciunt illam valde probabilem, quod satis est ad rem nostram; & de Moysi, Davide, & Eximijs Prophetis valde verisimilem, atque etiam magis certam de beata Virgine, quæ etiam per fidem ambulavit; ergo negandum non est, quod possit in eodem intellectu componi fides cum evidentiæ in attestante.

S E C T I O II.

Solvuntur Opposita.

Objic. 1. contra primam Assertionem. Non potest aliquis in humanis cognoscere Petrum ex voce, quando intuitivè illum non videt, quin olim Petrum de facie cognoverit; atqui nullus viator cognovit Deum facie ad faciem; ergo non potest per vocem, sive revelationem divinam certò cognoscere Deum esse illum, qui loquitur. Respondeo 1. Omisis duabus premisso nego conseq. Ratio est, quia in humanis nullus homo habet virtutem, ut elevet intellectu alterius ad cognoscendum effectum, seu locutionem cum loquente connexam; Deus autem potest elevare intellectum humanum, ut cognoscat internam Dei locutionem, quam infundebat Prophetarum mentibus connexam cum Deo loquente; unde in hac controversia nulla tener paritas ex humanis ad divina. Respondeo 2. neg. maj. quia, ut constat ex num. 519. & patet in cæcis à nativitate, adhuc in humanis, quin aliquis alterum de facie cognoverit, potest illum certò certitudine humana ex voce cognoscere; unde etiam per elevationem supernam poterit homo certitudine infallibili per locutionem connexam cum Deo cognoscere clare Deum esse, qui loquitur, quin Deum de facie cognoverit.

Objic. 2. contra secundam Assertionem: rudes & imperiti Mathematici, qui demonstrationes Euclidis non percipiunt, quantumvis haberent evidentiem moralem de hoc, nempe quod omnes Mathematici testantur, veras esse demonstrationes Euclidis, & quod eorum testimonium non potest esse falsum; at non habent evidentiem de ipsis propositionibus Euclidis, siquidem illas nec percipiunt, nec intelligunt; ergo etiam, si haberemus evidentiem de hoc, quod Deus, qui est prima veritas infallibilis, revelaverit mysteria Trinitatis, & Incarnationis, adeoque quod hæc mysteria sine vera; at quia nec percipimus, nec intelligimus ipsa mysteria, non habemus evidentiem de mysteriis revelatis; proindeque evidentiæ in attestante satis non est ad evidentiem rei attestatæ. Confirm. 1. Quod non est evidens ex terminis per modum primi principij, aut per cognitionem intuitivam, non potest fieri evidens, nisi per demonstrationem; atqui mysterium Trinitatis, & Incarnationis ratione evidentiæ in attestante non essent evidentiæ non

bis

P p p

bis ex terminis per modum primi principij, vel per cognitionem intuitivam, neque possent esse evidētia per demonstrationem; siquidem demonstratio, ut habet Philosophus, non acquiritur, nisi à priori per causam, vel à posteriori per effectum; revelatio autem neque est causa, neque effectus rei revelatae; ergo &c. Confirm. 2. Medium demonstrationis debet habere cognitionem cum re demonstrata: sed cognatio solum haberi potest inter causam & effectum, siquidem causa ute potest continens virtualiter effectum, dicitur habere virtualiter perfectionem effectus, proindeque ea visa videntur effectus; atqui pariter effectus ute potest contentus virtualiter in causa, recte dicitur sufficere, ut eo viso dicatur visa causa; ergo cum revelatio neque sit causa, neque effectus rei revelatae, non est sufficiens, ut per illam dicatur visa seu demonstrata res revelata.

545. Respondeo dist. ant. non habent evidētiam de ipsis propositionibus Euclidis, modō, quo continentur in Euclide in evidētia identitate extremonrum cum medio attacta per præmissas, atque illata per conclusionem, nego, modō, quo non continentur, nec inferuntur per conclusionem, conc. ant. & nego conseq. Ratio est, quia continentia requisita ad veram demonstrationem, licet exigat pro medio demonstrationis à priori positivē causam, vel ea, quæ se tenent ex parte causæ, & pro medio ad demonstrationem positivē à posteriori effectum, vel quæ se tenent ex parte effectus; at, ut fiat demonstratio à posteriori negativē, satis est medium, quod non sit causa, neque effectus, & quod attingatur evidētia in præmissis, ut connexum cum identitate extremonrum inter se, quæ attingitur per conclusionem, ut patet in omnibus demonstrationibus Mathematicis adductis num. 521. quas ut veras admittit Philosophus; hoc autem modo procedit demonstratio in nostro casu, ut ex num. 530. quin potius, ut ibi diximus, potest ex revelatione à posteriori ostendī causa rei attestatae, atque ex ea causa, tanquam ex medio demonstratur etiam à priori res attestata; rursus revelatio quantum ad evidētiam prædicatorum effectus, est virtualiter effectus, quem consequitur, & cum quo metaphysicē connectitur, proindeque juxta Adversariorum principia satis etiam est ad demonstrationem à priori, ut ex num. 534. Exinde ad primam Confirmationem conc. maj. & nego min. nam ratione evidētia in attestante, licet non fiat evidētia res attestata per modum primi principij, aut per evidētiam intuitivam, sit ramen multipliciter evidētia abstractivā, ut in responsione diximus. Ad secundam Confirmationem dist. maj. debet habere cognitionem connexionis evidētis, conc. alterius generis, nego maj. & distincta pariter min. nego conseq. ut constat ex dictis.

546. Cæterum, ut hæc clariora fiant, notare oportet, duplicititer posse rem aliquam demon-

strari. Primo, quoad an est. Secundo, quod quomodo est. Tunc res demonstratur, quod an est, quando evidētia cognoscimus, eam dari, licet non cognoscamus evidētia, quæ nam sine prædicata ejus constitutiva; sic agnoscimus evidētia dari continuum, licet non cognoscamus evidētia, an constitutur ex partibus proportionalibus, an potius ex solis indivisibilibus. Sic diximus cum omnibus Theologis ex tract. de Deo, ex creaturis ostendi evidētia Deum, quod an est, non quod quomodo est, cùm non sciamus evidētia, an essentialiter sit Trinus, an constitutur ex solo Ente à se, vel ex solo intellectivo radicali, & substantia absoluta, vel potius ex omnibus prædicatis necessariis absolute; quare, cum res demonstratur quoad quomodo est, quando non solum demonstratur, sed etiam demonstrantur prædicata, ex quibus constituitur. Unde per evidētiam in attestante, sive quod idem est, per evidētiam divinæ revelationis, quæ Deus dicit, dari Trinitatem, & alia mysteria, optimè demonstraremus, evidētia unumquodque illud mysterium, quod an est, licet illud non demonstraremus, quod quomodo est, ex quo præoccupata manent plura alia argumenta, quæ ex transitu unius generis ad aliud efformari solent.

Quapropter, si rudi, & imperito Mathematico appareat testimonium Mathematicorum, evidētia connexum cum hoc, quod omnes propositiones Euclidis in genere sunt veræ, quin videat ullam propositionem demonstratam, ex his, quælibet eo genere continentur, solum illi innotescet evidētia, omnes propositiones Euclidis in genere consideratas esse veras, quin evidētiam habeant de ulla specie determinata illarum propositionum; at si testimonium Mathematicum appareat illi evidētia, ut connexum cum hoc, quod est vera hæc propoſitio in specie: cujuscunq; trianguli, tres anguli sunt æquales duobus rectis, non autem cum alijs propositionibus in specie, innotesceret solum evidētia illa propoſitio in specie, non autem alia. Sic etiam proportionem servata in nostro casu per divinam revelationem, quæ evidētia appareat ut connexa cum hoc locum, quod nostra Religio est vera, innotescet evidētia duntaxat, quod nostra Religio est vera; per revelationem autem, quæ appareat, ut connexa cum hac propoſitione in specie, Deus est Trinus, & Unus, innotesceret evidētia, quod Deus est Trinus & Unus, sub hac quidem ratione formalis; ac sub alijs formalibus rationibus non innotesceret evidētia, proindeque licet habeat evidētiam quod an est, non exinde habet evidētiam quod quomodo est.

Objic. 3. Nullum medium potest reddere evidētis omnes conclusiones faciles, ac difficiles, atqui divina revelatio, si posset reddere evidētia mysteria revelata, posset sequere

reddere evidentes omnes conclusiones tum faciles, tum difficiles; ergo divina revelatio nullam conclusionem potest reddere evidenter. Confirm. 1. Medium, per quod res non potest percipi, aut intelligi, non potest illam reddere evidenter; atqui revelatio purè extrinseca est medium, per quod mysteria Trinitatis, Incarnationis, Eucharistiae &c. non possunt percipi, aut intelligi; etenim intelligere, ut habet D. Thomas quæst. 8. art. 1. in corpore, est quasi intus legere, quod certè nobis non contingit respectu eorum mysteriorum; ergo revelatio Dei non potest ea mysteria reddere evidenter. Confirm. 2. ex D. Thoma citato num. 502. ubi de eo, qui habet evidentiam Dei revelationis, ratione miraculi, quod videt patrum in contestationem rei, quæ ipsi annuntiabantur, ait: *Cognosceret manifeste, hoc dicit à Deo, qui non meritur, licet illud futurum, quod dicitur in se evidens non esset, unde per hoc ratio fidei non tolleretur;* ergo ex D. Thoma evidenter in artestante lat non est, ut reddatur evidens res attestata.

549. Respondeo dist. maj. nullum medium, si non apparer evidenter, ut connexum tum cum conclusionibus facilibus, tum cum difficilibus, conc. si ita appareat, neg. maj. & distincta pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia, si Deus per unam revelationem revelet nobis rem facilem, & difficilem creditam, v. g. quod Tobias habuerit canem, & quod Deus sit Trinus, & Unus, si evidenter ostenderet eam revelationem, ut divinam, & ita connexam, non minus esset medium ad ostendendum evidenter abstractivè Deum esse Trinum, & Unum, quam ad ostendendum, Tobiam habuisse canem; si verò ostendatur, ut connexa cum uno objecto, & non cum alio, modo, quo se habet revelatio, quo revelat unum solum objectum, & non aliud, tunc solum esset revelatio illa medium ad ostendendum unum objectum, & non aliud.

550. Ad primam Confirmationem dist. maj. medium, per quod res non potest percipi, aut intelligi secundum ullam rationem formalem, conc. quæ potest percipi, & intelligi secundum unam, & non secundum aliam, non potest reddere evidenter rem secundum unam, & non secundum alteram rationem formalem neg. maj. & distincta pariter min. nego conseq. quia illa revelatio divina de Trinitate, Incarnatione, & Eucharistia percipitur, & intelligitur, ut connexa cum unoquoque illo mysterio, saltem secundum rationem illam formalem, quoad an est, & secundum hanc rationem formalem jam quasi intus legimus ea mysteria, licet ea non percipiamus, aut quasi intus legamus quoad alias rationes formales, cum quibus revelatio divina non apparet nobis ut connexa, & sic maneat nobis occultum mysterium quoad quid est, vel quomodo est.

551. Ad secundam Confirmationem conc. ant. R.P. Gormaz Theolog. Tom. I.

& dist. conf. satis non est, ut reddatur evidens res attestata evidentiâ intuitivâ exclusivâ fidei, vel quantum ad omnes suas formalitates, conc. evidentiâ abstractivâ non exclusivâ fidei, & quoad an est, nego conseq. Ratio est, quia D. Thomas quamvis hic, atque alijs in locis videatur negare, quod fides, & scientia de eadem re non possint in eodem intellectu componi, intelligendus est vel de scientia Dei intuitiva, qualis est visio beatifica, vel si intelligatur de abstractiva, ut quandoque intelligi debet, explicandum est de fide incompossibili cum scientia, nempe si actus, quo quis crederet, niteretur motivo scientifico, & non potius assereret propter simplicem adhæsionem ad Verbum Dei. Ratio, quam ab Eximio Doctore desumus, est, quia cum scientia abstractiva, quam habemus per creaturas de existentia Dei, & de Creatore visibilium omnium, & invisibilium, recte componitur in eodem intellectu fides de existentia Dei, & Creatore omnium creaturarum juxta Symbolum, & textum Apostoli expedium num. 538. cùm in eo casu, quā optimè possit intellectus non nisi motivo scientifico, sed unicè Verbo Dei. Quare, cùm D. Thomas dicit, non posse fidem cum ea scientia componi, intelligendus est, si motivum illius scientiæ assumeretur etiam ut immediatum antecedens, sive ut motivum ad elicendam fidem, ut le magis explicat ipse D. Thomas quæst. 2. art. 2. Verum de his latius infra, quando erit sermo de actu divinæ fidei.

Objicies 4. contra tertiam conclusionem: de ratione fidei est, ut sit firma adhæsio rebus non apparentibus: est enim fides, ut docet Apostolus, argumentum non apparentium; sed ille, cui evidens esset, Deum revelare, evidenter etiam cognosceret mysteria revelata; ergo non posset habere fidem firmam de illis. Confirm. licet objectum materiale fidei possit esse aliunde evidenter cognitum, nihilominus objectum formale fidei semper debet esse aliqua ratione obscurum, & inevidens; siquidem ex doctrina Scripturæ, & Patrum actus fidei est assensus obscurus, & inevidens, quantum est ex propria ratione fidei, quæ à scientia superatur in claritate, quāque fides superat in certitudine; atqui evidenter in artestante non relinqueret hanc obscuritatem; ergo non potest componi cum illa actus divinæ fidei.

Respondeo dist. ma. rebus non apparentibus, id est, non visis intuitivè in sapientia, & veritate, sive auctoritate dicentis, conc. non apparentibus, & manifestatis per ipsam Dei revelationem, neg. maj. & distincta min. neg. conseq. Ratio est, quia ad actum fidei solum spectat affentiri ijs, quæ à loquentis auctoritate intuitivè non visa dicuntur, quia ab illo dicuntur, & non quia aliunde mihi nota sunt; quod autem evidenter constet, Deum abstractivè cognitum loqui, & quod ejus au-

Pp pp 2 thori-

thoritas sit infallibilis, hoc non potest fidem Deo debitam impedire, si illa abstractiva evidētia non sit motivum, sed pura conditio applicans Verbum Dei, propter quod unicē assentior. Ad Confirmationem dist. maj. obscurum, & inevidens inevidētia excludēt intuitionē authoritatis dicentis, conc. excludēt abstractivam inferiōrem notitiam, & demonstrationē, neg. maj. & disticta pariter min. neg. conseq. Ratio est, quia fides ex natura sua habet, conformare assensum credentis cum assensu, prout est in mente dicentis, ut diximus à num. 244. unde datur in supplementum intuitionis veracitatis, & sapientiae loquentis, ideoque ex natura rei excludi non potest, nisi per talem intuitionē. Quod fatis suadent testimonia Scripturæ, & Patrum, quæ adduximus num. 521. & 539. quibus scimus fidem in patria evacuari; ex quo inferimus objectum fidei esse non visum in authoritate dicentis intuitivæ visa, sive non habens simultatem in eodem intellectu cum ea intuitione; cum autem evidētia in attestante, de qua loquimur, non est cognitio intuitiva sapientiae, & veracitatis divinæ, neque compōneretur cum illa in eodem intellectu; exinde non posset destruere objectum fidei divinæ, vel fidem præstitam divinæ authoritati, si tunc assentimur unicē, quia Deus dicit.

554. Explico solutionem: fides, ut optimè notavit Esparza quæst. 24. de Virr. Theol. est clara & obscura comparatione diversorum, licet propter illam obscuritatem simpliciter sit, & dici debeat obscura; est enim clara comparatione ignorantiae, erroris, & opinionis, siquidem manifestat veritatem latentem penitus sub ignorantia, & apparentem sub errore modō contrariō, ac est in se, hoc est latentem deterius, quā si nullo modo attingeretur; fides namque essentialiter præsupponit evidētiam credibilitatis, de re credenda absque formidine, fundatam in argumento effectuum supernaturalium, per quos Deus, ut Author locutionis se adeò conspicuum exhibet, ut faciat videre evidētē obligationem credendi authoritati suæ absque illa formidine ex merito primæ authoritatis dicentis, quod quidem meritum in nullo fundamento à quocunque humano testimonio desumpto reperi potest; quandoquidem humanum testimonium, quā tale, fallibile est, & obligare non potest, ut adhibeamus assensum absque illa formidine.

555. Hoc autem modo obligat testimonium divinum, cui credendo adhæremus contentis omnibus, quæ in contrarium occurrent, & occurrē possunt; ita, ut hoc motivum apprens, quantum apparet omni credenti, seu proximè potenti credere, fide divina evidenter cognoscatur, debere præferri quibuscumque alijs motivis utcunque apparentibus: nulla autem opinio haber in se formaliter, neque præsupponit essentialiter evidētiam hujusmodi de

credibilitate, seu enunciabilitate absque illa formidine, & de motivo, quod hic & nunc apparet, præferri debet omnibus alijs motivis, utcunque apparentibus; aliter jam non est opinio. Unde fides est clara comparatione opinionis, quod respexit Apostolus ad Hebreos 11. quando dixit: *Fides est argumentum non apparentium: supra quæ verba Chrysostomus homil. 21. inter medium & principium ait: O quam mirabilis est verbo argumentum eorum, quæ non videntur, argumentum, quippe est in rebus admodum manifestis: fides igitur est non apparentium, & ad eandem certitudinem ducit, ad quæmerum, quæ videntur.*

Atque exinde fides comparata etiam cum cognitione naturali metaphysice evidēt, se habet tanquam excedens, & excellit; excedit enim fides, quatenus manifestat cum distinctione, certitudine, & claritate explicata veritates, quas nulla ratio naturalis manifestare sic potest, & quæ neque mediate, vel simpliciter deficeri possunt, ut sublīmū talī motivo. Excedit verò fides, quatenus cognitione evidēt, vel vider intuitivè, vel abstractivè suum objectum, quod quid est, quod ad fidem non requiritur; ideoque licet fides essentialiter sumpta, & metaphysice confidata non exigat claritatem scientiæ abstractiæ, at illam non respuit, & insuper illam claritatem naturalem superat certitudine nobilitati & altiori, licet non accedit ad intuitionem sui objecti primarii, propter quod vocatur visio, sed in anōmiate, ut ait Paulus 1. Corinthiorum 13. *Videmus nunc per speculum in anōmiate: quod eriam significatur 1. Petri 1. Cū benefaciis attendentes, tanquam lucernæ lūcenti in caliginoso loco. Quapropter fides penitatis omnibus à nulla alia cognitione excedit, nisi à visione Dei intuitiva, cuius est supplementum, ideoque ea superveniente deficit fides ex natura rei, ut ait Apostolus 1. Corinth. 13. Cū autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est; ad eum modum, quo, si lucerna ex natura rei data esset in supplementum clarissimi solis meridiani, adveniente meridiano sole juxta rerum naturam lucerna deficeret, eāmque abiceremus.*

Quod autem fides comparata cum intuitiva visione Dei omnino ab ea excedatur, manifestè constat tum ex testimonij supra adductis, tum ex ratione; quia visio agnoscit Deum, ut est in se ipso, & manifestat explicitè omnia, quæ manifestantur per fidem, & plura insuper alia, attingendo illa non solum quoad, an sunt, sed etiam quoad, quomodo sunt, innitendo soli primæ veritati absque adminiculo manifestationis creatæ; ad eum modum, quo caritas nescit soli bonitati increata, absque adminiculo partialis motivi creati; unde licet actus caritatis ex hoc sit certissime nobilior fide, ut diximus num. 265. at non est certum, an sit nobilior visione intuitiva Dei, ut

ut diximus num. 212. de beatitudine; unde claritas visionis excedit fidem, & quoad praedicata manifestata, & quoad modum manifestandi; cùmque hic excessus visionis respectu fidei sit multò major, quā excessus fidei respectu cognitionis naturalis, sive probabilitis, sive evidenter, patet à toto genere omnibus consideratis, fidem esse absolute, & simpli citer obscuram; & quidem fidem praedicari obscuram in sacris litteris, non tam comparatione aliarum cognitionum, quā comparatione visionis intuitivae Dei, pater ex testimonij superius allatis; etenim D. Petrus lucerne lucenti in caliginoso loco annexit immediate: *Donec dies illucescat, & Lucifer oriatur, id est, donec veniat dies beata, sive visio beatifica;* & D. Paulus appellavit fidem ænigma per antithesim inter ipsum, & visionem. *Videmus nunc per speculum in enigma, tunc autem facie ad faciem.* Unde obscuritas fidei, propter quam fides simpliciter est, & dicitur obscura, consideratur in sacris litteris respectu ad intuitivam Dei visionem, juxta dicta num. 553. cùmque evidenter in attestante, ut ex dictis constat, eam obscuritatem non excludat, non potest expellere ab eodem intellectu actum divinæ fidei.

558. *Objicies 5.* Si posset componi actus divinæ fidei in eodem intellectu cum evidenter in attestante, cognitione evidens, qua assentiremur, revelationem illam procedere à Deo, tanquam à causa, ester actus divinæ fidei; atqui cognitione evidens sub ea ratione attingens illam divinam revelationem, non est actus divinæ fidei; aliter conclusio Theologica attingens ex parte objecti motivi testimonium divinum, ester actus fidei, quod nos negavimus à num. 493. ergo cum evidenter in attestante nequit componi in eodem intellectu actus divinæ fidei. Respondeo dist. maj. ester actus divinæ fidei, si attingeret divinam revelationem præcisè ut testimonium Dei per simplicem adhæsionem ad ipsum, conc. si attingeret divinam revelationem præcisè ut effectum, vel ut doctrinam, nego maj. & distincta pariter min. nego conseq. Ratio est, quia testimonium, & verbum multipliciter accipi possunt, ut cum Conink notavit bene Charleton disp. 10. sect. 3. nempe primò, ut res quædam naturam suam habens, & ut verus effectus suæ cause. Secundo, ut doctrina. Terterò, præcisè ut testimonium; & hoc tantummodo accipi debet, ut sit motivum divinæ fidei: quomodo accipi non videtur in sensu argumenti. Etenim quatenus testimonium est res quædam, sive effectus quidam suæ cause, potest esse medium ad sciendum ejus proprietates, & ad sciendam, seu demonstrandam suam causam; quemadmodum, si audirem Joannem mihi dicentem, se vivere, actus, quo ex hoc ejus dicto tanquam ex effectu vitæ assentirer Joannem vivere, non niteretur dicto illius tanquam testimonio, sed quatenus est

signum evidens ejus vitæ; ideoque actus iste est scientia à posteriori; cuius indicium est, quod eodem modo ex hoc, tanquam ex effectu assentirer dicenti, sive verax sit, ac fide dignus, sive tota vita mendacijs fuisse deditus.

559. Similiter, si dictum alterius sumatur ut doctrina, potest etiam instrumentaliter causare propriam suam evidentiam, ac demonstrationem; hoc enim modo per doctrinam, & explicationem Magistrorum acquirimus scientias, & transimus ex notis ad ignota inferendo ex doctrina, quæ in præmissis continentur; & hæc est altera ratio, quare conclusio non possit esse actus fidei, & cur non possit dari in Deo discursus virtualis, cum non possint motiva concurrere ut illuminatio, instructio, vel doctrina, ut diximus num. 257. de Deo; unde ex arguento magis roborantur principia nostra; etenim, quando aliquis verè procedit per doctrinam, non procedit credendo, sed sciendo; at testimonium simplex, cui per simplicem adhæsionem adhæremus, non causat propriæ scientiam, sed fidem, neque judicia prævia sunt præmissæ, sed conditiones, & applications, ut diximus num. 494. Quare, si ita concurrat divinum testimonium, actus illi nitens erit fidei divinæ; cæterum, cùm conclusio Theologica non procedat hoc modo, sed alio longè diverso, ut constat ex num. 493. exinde nequit esse actus formalis divinæ fidei. Ex his autem, ut accuratè notavit Exim. Doctor, appareat discrimen, & sensus valde diversus, quo testimonium Dei quærale vocatur revelatio; & sensus, in quo habitus fidei à Patribus, & Theologis vocari solet etiam aliquando revelatio; etenim revelare perinde est, ac velum tollere, quod impedit, ne intellectus posset objectum cognoscere; at velum istud considerari potest vel ex parte potentie, quæ velata est, ne objectum videat, eò quod non habeat sufficienes vires ad attingendum certissimè objectum, præsertim supernaturale, aut cum supernaturali respectu, & talis est noster intellectus impotens ad assentiendum solis suis viribus actui divinæ fidei; cùmque hæc impotentia tollatur ex parte intellectus per habitum divinæ fidei, exinde in hoc sensu habitus divinæ fidei dicitur revelatio, & lumen fidei. Cæterum non est ista revelatio, de qua in præsentis agimus; de illa namque agimus, quæ collit velum ex parte objecti, ut proper authoritatem dicentis certissimè assentiamur, quod solum habetur per dicentes testimonium quæ tale, cui intellectus nitiuit; quare opus est, ut testimonium Dei quæ tale sit motivum divinæ fidei.

560. *Objicies 6.* Fides nostra vel ex intrinseca sua, vel saltem ex ordinatione præsentis divinæ Providentiae est indispensabiliter libera & meritoria; atqui cum evidenter in attestante non potest componi libertas, quandoquidem intellectus ex evidenter præmissarum ne-

Pp pp 3

cessariò

cessariò rapitur ad assentiendum evidenter rei revelatae, ut diximus à num. 523. & constat in syllogismo adducto num. 517. ergo cum evidenter in attestante nequit in eodem intellectu componi actus divinæ fidei. Confirm. 1. Si fides non excluderet evidenter in attestante, nulla posset assignari ratio, cur fides non fuisset in Christo, & cur modò non sit in Beatis saltem circa divinas revelationes, quas habent de his, quæ non vident in verbo; tum in Angelis inferioris Chori, qui à superioribus Angelis accipiunt divinas revelationes; atqui omnium consensu fides non fuit in Christo, neque est saltem quantum ad actum in Angelis, & hominibus beatis; ergo &c. Confirm. 2. Scientia, & fides non possunt componi in eodem intellectu circa idem objectum; atqui ex evidenter in attestante habeatur scientia de re revelata, & attestata, ut constat à num. 523. ergo &c. Confirm. 3. ex Mauro quæst. 131. Licet cum fide universaliter sumpta, quæ ab hac, aut altera providentia præcindit, non repugnat evidenter in attestante; at repugnat cum fide, quæ datur in hac providentia; aliter non definiretur ab Apostolo argumentum non apparentium, neque vocareretur à D. Petro lucerna lucens in caliginoso loco; ergo saltem in hac providentia nequit in eodem intellectu componi fides cum evidenter in attestante.

561. Respondeo dist. maj. est libera vel quoad speciem, vel quoad exercitum, conc. semper quoad speciem in sensu Adversariorum, de quo num. 711. nego maj. & distincta pariter min. nego conseq. Ratio est, quia libertas quoad speciem in sensu Adversariorum stat in eo, quod intellectus possit assentiri objecto, & dissentiri, ad eum modum, quo sumus liberi ad assentiendum, vel dissentendum homini dicenti, quæ libertas dari non potest simul cum evidenter in attestante, cum hæc afferat evidenter rei attestatae, ut supra diximus, & intellectus negare non possit objectum, quod evidenter cognoscit esse verum. Libertas vero quoad exercitum stat in eo, quod intellectus, licet non possit negare objectum, at potest non elicere assensum altiorum, & nobiliorum nitentem quidem alteri superiori motivo, quale est testimonium Dei attractum ut testimonium, quin præcedens evidenter assumatur ut motivum, ideoque intellectus possit tunc assensum illum suspendere, quin propter illud superiorius motivum assentiat, aut in obsequium illius captivetur.

562. Cùm enim actus divinæ fidei ita se habeat, quando præcedit evidenter in attestante, exinde nequaquam redditur incompositibilis in eodem intellectu cum ea evidenter; intellectus quippe ad eliciendum in eo casu actum divinæ fidei, debet relinquere motiva evidenter, & altius ascendere ad assentiendum, non quidem propter illa motiva, sed unicè propter Verbum Dei; ad hoc enim non manet

necessitatus ex illa evidenter, sed potest quam optimè altiorum illum assensum suspendere; unde, si tunc ex pia voluntatis affectione talis assensum imperet, erit quidem meritorius, & liber non libertate quoad speciem, sed libertate quoad exercitum, quod satis constat ex Innocentio XI. adducto num. 497. sic plures ex Adversariis docent, assensum divinæ fidei esse composcibilem cum evidenter, & scientia rei creditæ v. g. immortalitatis animæ, quam fides simul docet, & ratio naturalis demonstrat, & tunc assensus divinæ fidei nitens unicè testimonio divino quæ tali est meritorius, & liber non quidem libertate quoad speciem, sed libertate quoad exercitum: pariter igitur in nostro casu.

Quapropter, quando intellectus præsupposita evidenter in attestante elicet actum divinæ fidei, pia voluntatis affectio in obsequium testimonium divini libere moveretur ad imperandum intellectui talem altiorum assensum, ita, ut non minus moveretur juxta præsentem animi dispositionem ad imperandum alienum debitum testimonio divino, quod sine evidenter rei, & cum sola evidenter credibilitatis, & obligationis credendi absque formidine repræsentaretur, quæ ratio propter quam in eo casu intellectus captivatur in obsequium fidei, & fides manet laudabilis, libera & meritoria; exinde autem colligatur, quare Dæmonum fides non sit laudabilis; etenim, ut habetur Jacob. 2. Et Demones credunt, & contremiscunt; at non se exercent laudabiliter, neque per fidem supernam, sed per naturalem; ut docet D. Thomas 2. 2. quæst. 5. art. 2. in corpore, ubi sic ait: Vident enim multa manifesta indicia, ex quibus percipiunt dæmoniam Ecclesiæ à Deo esse, quoniam ipsi res ipsas, quas Ecclesia docet, non videant, puta Deum esse Unum, & Trinum, & aliquid hujusmodi.

Quare ad secundum, & tertium non solum negat D. Thomas, Dæmonum fidei laudem omnem, sed & propriam rationem fidei supernaturalis, & Theologicæ, quæ est in Christi fidelibus; ejus verba sunt: ad secundum dicendum, quod fides, quæ est dominum gratia, inclinat hominem ad credendum secundum aliquem affectum boni, etiam si infirmus; ad fides, quæ est in Dæmonibus, non est dominum gratia, sed magis coguntur ad credendum ex perspicacitate naturalis intellectus. Et statim subiungit: Ad tertium dicendum, quod & hoc ipsum Dæmonibus displaceat, quod signa fidei sunt tam evidenter, ut per ea credere compellantur, & ideo in nullo eorum malitia minuitur per hoc, quod credunt. Expendunt enim motiva credibilitatis, & vident nullam ostentationem prudentem ad discredendum, & cognoscunt miracula facta in conformatiōne Religionis Catholicæ non ab ipsis procedere, sed à virtute superiori, qualis est divina virtus, ideoque Deus solum applicat illis omnipotentiā

riam, ut juxta vim motivorum illorum assensum præbeant; ideoque neque quoad speciem, neque quoad exercitium liberi sunt ad credendum, neque liberam, & laudabilem voluntatem excent imperando illum assensum in obsequium illius divini testimonij, & præcisè, quia Deus dicit; sed potius voluntatem avertam habent, & vellent, ut maneret illis locus vel ad non credendum, vel ad discredendum, per quod & fides illa naturalis est, & manet omni prorsus laude destituta.

365. Aliter autem se gerunt fideles, & se gesse-
runt Apostoli, & Prophetæ, quando cum il-
la evidētia in artestante elicuerunt simul a-
ctum divinae fidei, ut constat ex dictis; ad il-
lum quippe laudabilem assensum non cogeban-
tur ex scientia, quam habebant de divina
revelatione, sed ex puro, & libero voluntaris
imperio movebantur ad assentiendum, & qui-
dem super omnia per simplicem adhæsionem
ad Verbum Dei; unde sicut modo non co-
gimur ad animum Deum super omnia ex eo,
quod evidenter cognoscamus, Deum esse sum-
mum Bonum, & diligendum super omnia;
ita & Apostoli, & Prophetæ, & alij quicun-
que habuerunt evidētiam in artestante, non
cogebantur ad assentiendum super omnia actū
divinæ fidei ex eo, quod evidenter scirent, &
cognoscerent divinum testimonium dignum
est tali altiori assensu super omnia.

366. Ad primam Confirmationem neg. maj. nam
ratio, propter quam Christus, & Beati non ha-
bent actum fidei circa illa objecta, est, quia
non manet illis objectum fidei, quod est non
vifum, neque in se, neque in merito sui ob-
jecti primarij intuitivè vifum, id est non vifum,
nec cognitum ab intellectu intuitivè vidente
Deum, ut constat à num. 539. & 556. siquidem
fides ex natura rei non evacuat ab in-
tellectu justi, nisi adveniente intuitione Dei;
cum enim omnes gratiæ, quas Deus erga Be-
atos exercet, respiciant pro radice Deum in-
tuitivè vifum, atque per amorem beatificum
super omnia dilectum, etiam illa beneficia;
quæ Deus illis confert revelando plura ob-
jecta, que in verbo intuitivè non vident, ra-
dicantur in Deo intuitivè vifis, quod satis est,
ne maneat illis objectum fidei, quod juxta te-
stimonia superius adducta debet esse sub hac
ratione non vifum; atque in hoc sensu dixi-
mus objectum fidei non vifum num. 540. &
est etiam expressa D. Thomæ doctrina quæst.
14. de veritate art. 3. ad 6. ubi ait: *Veritas pri-
ma non est objectum proprium fidei, nisi sub
hac ratione, prout est non apparentis; ergo.* Un-
de, quando veritas prima præstò erit, amittet
rationem objecti; si enim de ratione objecti
spei est, quod non possideatur, neque in se;
neque in radice sui objecti primarij, juxta illud
Apostoli ad Rom. 8. *Quod enim videt
quis, quid sperat?* ita de ratione objecti fidei
erit, quod non videatur neque in se, neque
in radice sui objecti primarij; in hoc enim

conveniunt fides, & spes, cùm ex Apostolo
Fides sit sperandarum substantia rerum; unde
dixit Hilarius lib. 8. de Trinitate; *maximum
fidei stipendum est sperare, quæ nescias.*

Quare objectum fidei debet esse non vi-
sum, sive non cognitum ab intellectu viden-
te Deum, vel cognitum ab intellectu Deum
non vidente, cùmque nulla virtus se exten-
dere posse extra suum objectum, nullus fidei
actus elici potest à Beato, atque a deo, cùm
Christus ab instanti conceptionis sue habue-
rit visionem beatificam, retineatque illam per
totam æternitatem, cùmque retineant etiam
omnes Beati tuum Angeli tuum homines, non
potest in illis reperiri actus divinæ fidei; ideo-
que neque gaudium de spe habita in via,
neque alij quicunque possunt dici propriæ vel
fidei, vel spei actus; sed erunt vel visionis,
vel charitatis, vel alterius virtutis saltem in-
nominatae. Ratio autem efficax, cur cessent in
patria fides, & spes, non verò aliæ virtutes,
non alio meliori modo haberi potest, quæ
ex testimonij Scripturæ, & SS. Patrum su-
periis adductis, ex quibus scimus, in patria
evacuari fidem, ac proinde & spem, quæ
suprà fidem fundatur. Congruentia autem
ea est, quia istæ duæ virtutes sunt quasi pu-
rum substitutum beatitudinis; cùm dentur ad
credendum, quæ postea videbimus, & ad spe-
randum, quæ postea habebimus, & cum quibus
erimus beati. Unde, sicut lucerna,
quæ est purum substitutum lucis meridia-
næ, ex natura rei evacuaretur, & abjec-
etur adveniente luce meridiana, ut suprà dixi-
mus; ita fides, & spes ex natura rei evacu-
antur, & deficiunt adveniente beatitudine;
unde, cùm de potentia absoluta dari non po-
sit actus sine suo objecto, facile ex hac doctri-
na inferitur, neque de potentia absoluta dari
posse actum fidei, aut spei in Beato. De ha-
bitibus verò non est eadē omnino ratio,
cùm possint esse, quin prodeant in actus. Un-
de plures censent, quod de potentia absoluta,
sive in alia providentia potuerint manere in
Beatis. Quidquid tamen de hoc sit, ratio à
nobis adducta convincit, quod adveniente vi-
sione Dei intuitiva deficit habitus fidei ex na-
tura sua, quod satis est ad id, quod intendi-
mus.

Ad secundam Confirmationem dist. maj.
cùm idem objectum neque in se, neque in merito
objecti primarij fidei intuitivè vifum, ne-
go. cùm idem objectum eò modo jam vifum,
conc. maj. & distincta pariter min. nego con-
seq. quia evidētia in artestante, de qua agi-
mus, non affteret evidētiam intuitivam Dei,
ac proinde maneret objectum non vifum, ut
oportet ad fidem; unde quæoptimum poterit
cum ea scientia componi actus divinæ fidei.
Ad tertiam Confirmationem nego ant. quia
non apparentia, de qua loquitur Apostolus,
ratione cuius fides dicitur lucerna lucens in
caliginoso loco, est non apparentia intuitiva
objecti

objecti primarij fidei, ratione cuius dicatur visum, quod credebamus, & quæ revelantur, dicantur non visa in merito saltem objecti primarij; ut enim diximus num. superiori, objectum divinæ fidei est in hoc sensu non visum. Quamobrem non tenet paritas, quantum ad præsens institutum à fide humana ad divinam; nam testimonium humanum intuitu yisum, non est dignum firmiori assensu, quam sit dignum assensu objectum dictum, & per eviden-

tes præmissas nobis demonstrarum, eū per-
videntem conclusionem assentimur. Unde li-
cet cum hac scientia non posset componi in
eodem intellectu fides humana, adhuc posset
componi fides divina. Ceterum de his lat-
ius infra, quando quæremus, an scientia, fides,
& opinio circa idem objectum possint in eo-
dem intellectu simul reperi, vel in co-
dem, vel in diversis a-
cibus.

DISPUTATIO XIII.

AN FIDEI NOSTRÆ MYSTERIA SINT EVIDEN- TER CREDIBILIA, ET CREDENDA:

569. **M**Agnum esse discrimen inter mysteria e-
videnter credibilia, & credenda, atque
inter mysteria evidenter vera, jam supra no-
tavimus: ut enim sint evidenter credibilia, &
credenda, satis est, quod proponantur nobis
sub illis motivis, quæ nobis demonstrant ob-
ligationem credendi, & assentiendi absque ul-
la formidine Deo revelanti, ex merito divini
testimonij nobis ita repræsentati. Ut autem
sint evidenter vera, ulterius requiritur, quod
non solum habeamus evidentiā de credibili-
tate, & obligatione credendi; sed & de eo,
quod res ita se habet, ut affirmatur; quæ duo
valde diversa sunt, ut manifeste patet exem-
pli: quando enim invenirem in foro Petrum
repente occisum, ibique essent mille homines,
quos semper probos, & veridicos agnovi, o-
mnésque mihi dicerent, Franciscum occidisse
Petrum, homicidium factum à Francisco, esset
mihi evidenter credibile, & juxta meritum
testimoniorum credendum, quin exinde esset
mihi metaphysicè certum, quandoquidem
nulla esset metaphysica contradictionis, si illi ho-
mines convenienter ad falsum afferendum,
proindeque falsum esset, quod Franciscus occi-
disser Petrum. Quapropter, ne confundamus
hæc duo longè diversa, agimus in hac dispu-
tatione de evidentiā credibilitatis Religionis
Catholicæ, sive mysteriorum nostræ fidei, actu-
ri disputatione sequenti de evidentiā myste-
riorum. Cæterum, quia evidentiā credibili-
tatis habetur quād maxima ex diversis tes-
timonijs ad eandem veritatem comprobandam
conspirantibus; quandoquidem difficultas,
quæ vinci debet ad cohærentiam testimoniorum
ad eò diversorum, nobis suadet, eam vi-
ctoriam reportari tantum vel ab ipsa veri-
tate, vel ab Authore veritatis. Exinde ex
pluribus ejusmodi testimonij, quæ suadent
Religionem Catholicam esse credendam, faci-
lē ostenditur evidentiā credibilitatis. Quare
eam ostendamus primò ex gloria miraculo-
rum. Secundò, ex Prophetis, & Oraculis.
Tertiò, ex victoria difficultatum vires natu-
rae superante in propagatione Catholicæ Re-
ligionis. Quartò, ex gloria Martyrum. Quin-

to, ex notis veræ Ecclesiæ. Sextò, ex com-
paratione cum omnibus falsis Sectis, nempe
Paganismo, Judaismo, & Hæreti oppositis
Religionis Catholicæ. Septimè, ex solu-
tione omnium, quæ in oppositum excoigitata
sunt. Hæc enim tam diversa, & quæ tam a-
mico foedere conspirant ad contexandam cre-
dibilitatem Religionis Catholicæ, illam mani-
festè reddunt evidenter credibilem. Sic et
quod humana testimonia propter natura frä-
gilitem faciliè disconveniant, & ut dici so-
let, quot capita, tot sententiae, cum videamus
omnia contestari, dari Constantinopolim, pro-
dencissimè inferimus, eam victoriam ab huma-
na fragilitate reportatam in convenientia to-
testimoniorum, non haberi, nisi ab ipsa veri-
tate, vel ab Authore veritatis; proindeque e-
xistens Constantinopolis redditur nobis evi-
denter credibilis. Quare, ut hoc modo pro-
grediamur in præsenti sit.

SECTIO I.

Ostenditur evidens credibilitas Religio-
nis Catholicæ ex gloria miracu-
lorum.

Religionem Catholicam esse quidem evi-
denter credibilem, & credendam, docent
ferè omnes Theologi cum D. Thoma 1. 2.
art. 4. & 1. contra gentes art. 6. quod & P.
Amico valde probabile videntur, esse de fide,
ex illo Psalmi 92. *Testimonia tua credibilita-
tis sunt nimis.* Etenim per testimonia di-
vina ea intelliguntur, quæ Deus testificatus est,
qualia sunt mysteria nostræ Religionis, quæ
ut exponit Lyranus, *Credibilitas fata sunt nimis,
id est, magis, quam prima principia scientia-
rum.* Ostendunt enim nobis motiva credi-
bilitatis obligationem credendi; absque ulla
formidine illis divinis testimonij super omnia,
quod sine evidentiā credibilitatis flare non
potest. Unde Augustinus lib. 7. Confessio-
num cap. 10. ait: *Facilius dubitarem, vivere o-
me, quam esse vera, qua audiri.* Sed hæc o-
mnia